



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis  
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae  
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra  
Doctrina, Et Essentia atque vnitae ...**

**Gil, Christovão**

**Coloniae Agrippinae, 1610**

Tractatvs Primvs. De nomine, vtilitate, necessitate, & ratione saltem  
confusa Theologiae.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

# COMMENTATIONVM THEO- LOGICARVM LIBER PRIMVS, DE DOCTRINA THEOLOGICA.

## INITIVM.

**A**ntequam ad ipsas Commentationes Theologicas de Deo, eiusq; operibus accedam, operapretium duxi communi more, & instituto Theologorum de ipsa doctrina Theologica prius agere: ita enim D. Thom. & Alenf. initio summae Theologiae ita reliqui doctores super Prologum Magistri, questionibus de Deo praemittunt ea, quae ad Theologicam facultatem pertinent. Cum enim non sit de numero earum scientiarum, quibus Philosophus in lib. posteriorum regulas praescribit, neq; ex principijs solo naturali lumine cognitis natura eius, & ratio possit innotescere, ad ipsam, & non ad aliam doctrinam pertinet de natura ipsius, proprietatibus, principijs, & causis disputare. Erit itaq; primus hic liber de doctrina Theologica, quae octo tractatibus absolvam. In primo de Etymologia, utilitate, & necessitate theologiae sermo erit, quam ab hereticorum calumnijs, quantum praesens institutum patitur, defendere aequum erat: similiter etiam tradetur notitia quid nominis, & confusa aliqua notio habitus Theologici. Secundi tractatus materia erunt principia, & causa theologiae, quae non coincidunt cum subiecto, siue obiecto: De hoc enim agendum est tractatu tertio explicando diversitatem obiecti materialis, & formalis, & reliqua omnia quae conducunt ad constandam unicam rationem formalem obiectivam, à qua doctrina Theologica sumit speciem, & ab alijs scientijs distinguitur. Tractatu quarto tradetur magis distincta notitia habitus theologici, & explicabuntur ea, quae pertinent ad eius rationem formalem intrinsecam, & illud à reliquis habitibus scientijsq; distinguunt. Quoniam verò habitus omnis intellectualis habet rationem practici, & speculativi, quae de re est magna sententiarum varietas inter Theologos, idcirco ad completam notitiam habitus theologici addidi tractatum quintum; in quo disputationem in primis, de ratione practica, & speculativa in communi, quod eius notitia praerequiratur non solum ad hunc locum, sed ad alia ubi sermo erit de scientia beata, divina, & similibus: Deinde verò explico utrumne habitus Theologicus sit practicus, an speculativus. Tractatu sexto agam de unitate Theologiae, & distinctione ipsius ab alijs habitibus, & alijs comparationibus ad reliquas scientias. Et quoniam, ut ait Philosoph. lib. 1. poster. initio principia praenoscenda sunt antequam aggrediamur ad acquirendam scientiam: Tractatu septimo sermonem instituo de locis Theologicis, ex quibus erunt argumenta necessaria ad conclusiones Theologicas stabiliendas: Et quamvis hac materia late pateat in Theologia, non est mei instituti singula pro dignitate discutere, sed quantum sat erit ad vniuscuiusque loci vim, & naturam cognoscendam. Denique, quoniam idem Philosophus ubi supra monet ante scientiam praenoscendum esse de subiecto quid sit, & quod sit, tractatu ultimo praemitto confusam quandam notionem quid nominis Deus ab omnibus gentibus communiter receptam; & breuiter contra Atheos ostendo esse aliquod numen diuinum, cuius nutu omnia caelestia, & terrestria gubernentur, à quo res omnes tam corporeae, quam expertes corporis, ut à primo principio, causaq; dependent. Qui locus contra Atheos à praclaris ingenijs ingeniosè, & eruditè tractatur, sed opus fuit amplam materiam in angustias redigere.

## TRACTATVS PRIMVS.

Denomine, utilitate, necessitate, & ratione saltem confusa Theologiae.

**A**ggressuri disputationem de aliqua re, ut monet Aristot. lib. 4. Metaph. tex. 10. convenire prius debent de significatione propria nominis, quo inter disputandum utuntur. Ideoq; acturus hoc libro de doctrina Theologica ab Etymologia, & notione nominis exordium sumam. Deinde verò, ne frustra labor impendi videatur, quae eius sit utilitas, quae necessitas ad veram fidem tuendam, & explicandam paucis ostendam. Et quoniam Theologi assignant diversos habitus pertinentes ad sacram doctrinam, operapretium erit explicare quinam potissime censeatur nomine Theologiae, de qua deinceps agendum est, dicam itaque utrum habitus Theologicus sit declarativus tantum, an vero adhaesivus, ac probativus: tum demum utrum versetur in probandis principijs fidei, an verò in conclusionibus ex ijs deducendis.

APPRO-